Dupl.

Disſertatio Theologica,

Siſtens

Principia Recentioris Theologiæ, Critice dijudicata,

Cujus

Partem Tertiam

Conſent. Max. Vener. Facult. Theolog. Aboënſ.

PRÆSIDE

Mag. JACOBO BONSDORFF,
S. S. Th. Doct. & Profeſſ. publ. & ordin.

publico examini modeſte offert

CAROLUS RUDOLPHUS FORSMAN,
Oſtrobottnienſis.

In Audit. Theolog. die XIV Decembris MDCCCXXII.

h. a. m. ſ.

ABOÆ, Typis *Frenckellianis.*

Siccine animi ipſius noſtri, nobis proximi & familiariſſimi, eſſentiam, originem, influxum in corporis mechanismum, ſubſiſtendi modum, cetera, aliquis Philoſophorum ita indagavit, ut nihil ſibi reſtare incognitum temere ponat? Si verum eſt, quod recte dicitur: *dies diem docet*, verum quoque eſt quod ſæpius valet, *multa delet dies*. Sed in ſublimi ſpatioſiſſimoque ſcientiarum campo quis mirabitur, lynceos ipſos oculos ſubterfugere multa, innumera dari myſteria, alia forte in poſterum evolvenda, pleraque tamen non niſi nomine et externo habitu cognoſcenda. Immo religionem ipſam naturalem veram et purgatam longe plura ſecum ferre arcana, quam poſitivam illam, cordati dudum faſi ſunt. Quid eſt igitur, quod ſcrupulos tantos in doctrina revelata movebit, quia non omnia ſunt retecta, multa vero in aliam mentem et formam manifeſtata, quam quæ rationalismo placerent? Auctoritatem Divinam ſibi impedimento eſſe graviter clamitant qui myſteria nulla admittunt; ſed ſi rite animadverterint, non ea a Theologis in hanc claſſem referri, quæ ex floſculoſo aut tropico ſermonis genere aut verborum quorundam umbra, aut phantaſiæ cujusdam luſu originem repetunt, ſed quæ propriiſſimis Chriſti Apoſtolorumque enuntiata ſunt verbis, fidem his ipſis non denegabunt tum etiam, quum arcana cœleſtia commemorant *a*). Quis enim non videt æqvus rerum arbiter, veritatem ac poſſibilitatem miraculorum omnium myſteriorumque hiſtorica non minus fide quam Divina niti auctoritate. Tanto minus vero Divina eloquia fraudem ſecum ferre poſſunt, quanto apertius eſt, Divinum hunc

a) Meminerimus reſponſi a Chriſto prolati, ad perſvadendum Nicodemum. Joh. 3: 12, 13.

ſermonem, Chriſti potisſimum ore et mandato profectum, loquendi hominum uſui convenientem & ad ſenſum communem intemeratum conſtanter directum fuisſe. Quod ſi Socrates ipſe dudum Sophiſtarum, omnia ſe ſcire arguentium, ora obturasſe fertur eo modo, ut ignorantiam ſuam ingenue fateretur, multo magis oſcitantiæ humanæ, coeleſtes circa res impune grasſantis, ſiſtere convenit gradum monente ac præcipiente Chriſto, veritatis ipſius Auctore conſummatisſimo. Quidcunque enim is, Divinus internuntius, natura quavis et perſpicacia excellentior, pronuntiaverit aut ad credendum commendaverit, infallibile profecto erit judicandum. Neque tamen hinc poſtulabit quispiam, nullam esſe certam myſteria vera a falſis diſtingvendi rationem, aut certum non dari criterium veritatis. Quæ enim certitudo ineſt huic ſententiæ, esſe e. c. magneticam vim, quamquam ipſa ſit nobis explicatu impossibilis, eam quoque certitudinem agnoſcamus huic e. c. dogmati ineſſe, Divinum Spiritum omnia moderari, licet modum neſciamus. Neque quisquam animi ſui exiſtentiam negavit, quia naturam ejus nec mente nec verbis aſſequi queat. In univerſo autem hoc genere vindicando, fateamur oportet, multa in hunc numerum fuisſe relata, quæ ſobriæ Criſeos ope explicari potuisſent *a*). Fatemur, merito ſuſpecta esſe quævis ratiocinia, rationi humanæ e diametro oppoſita; talia vero Revelatio Divina minime continet, et ſi in eandem intruſa quondam fuerint, Divini tamen verbi vis nunquam evanuit, ſed ex tenebris funeſtisſimis impigro Proteſtantium labore repurgata dudum enituit.

Doctri-

a) Is quippe fuit fanaticorum error, ut tropicis ludere mallent verbis, quam ſenſum inde extorquere ſanum. Sangvinem, vulnera cet. quis non poſita esſe pro morte, cruciatu e. ſ. p. didicit ex uſu lingvæ quotidiano? Cur ergo myſteria in iis quærunt?

§. 2.

Doctrina de Deo & Trinitate.

Simplicisſimam et fundamenti loco in univerſa Religione ponendam ideam Dei veri ac unici ex duplici nobis manare fonte omnes dudum intellexerunt cordati Theologi, Revelationem probe agnoſcentes utpote certisſimam veritatis hujus baſin; quam qui negant aut flocci habent, neutiquam ſublimitatem aſſequuntur dogmatis hujus palmarii. Abſurdum et experientiæ humani generis prorſus contrarium eſſet ſtatuere, rationem vel puriſſimam melius edocere homines poſſe de Dei exiſtentia, natura et infinito ſubſiſtendi modo, quam Deum ipſum; Quum ergo novaturientes nonnulli tantas deferant laudes philoſophicis ſuis de Dei exiſtentia atque natura ratiociniis, quæ quidem per ſe utiliſſima neceſſariaque eſſe ac vera nemo ſanus dubitavit, in eam mentem id agere videntur, ut ſenſim Divina auctoritas non minus in articulo de Dei unitate, quam Trinitatis myſterio ſenſim ſubruatur. Candidum enim et nobile ſi habuiſſent propoſitum, Theologicum purgandi et a præjudiciis vindicandi ſyſtema, modeſtius utique de Biblica et Symbolica doctrina verba fecisſent, quemadmodum ſagacisſimi multi Theologi antehac egerunt. An prudentis eſt Interpretis, non modo repugnantias fingere, ſed etiam odia et inimicitias contra ſimplicem fidem Evangelicæ ſtruere doctrinam, arroganter Sacros et Eccleſiaſticos taxare Auctores, totum que infeſtare Theologorum et Chriſtianorum chorum *a*?

a) Conferri meretur procacitas Cannabich in ſuo: *Kritik der alten und neuen lehren*, Anonymique in Svecum idioma prolatum: *Tillfreds-ſtällelſegrunder i anſeende till de nya förändringarne i Proteſtantiſka Kyrkans lärobegrepp*, cum moderato Seileri et Doederleini judicio.

Eſto ſcilicet, orthodoxæ ſententiæ patronos, jam inde ab Athanaſii ævo, diras minimeque probandas tuliſſe in omnibus judicia, Charybdim vix evitare valentes; an prono alveo in Scyllam incidere juvabit? Ex utraque certe peccatur parte, vel impugnantium expreſſam Scripturæ litteram fidemque, vel otioſius philoſophantium in rebus, extra mentis humanæ poſitis pomoeria, nec ulli parcentium anathemati.

Quod jam in tota hac de Deo doctrina noviſſimos exercuit ac ſollicitavit Theologos, non ea quidem fuit veritas, quam de unitate et attributis Dei uno quaſi ore amplectuntur omnes, et quæ naturalis religionis convenientiſſima docetur eſſe principiis, ſed Trinitatis, e Divina Scriptura ſpecialiter hauſtum, dogma, myſterii plenum, in quo explicando acriter ſudarunt. Redeamus vero ad ſimplicisſimam Chriſti ejusque Apoſtolorum inſtitutionem de tribus in infinita Dei natura ſuppoſitis et communicandi modis, Patre, Filio et Spiritu Sancto. Triunum Deum cur non ſancte ſuſpicies, quamquam modus ſubſiſtendi penitus ignoretur? num quis mentem Divinam ſcrutatus eſt? Annon infinita Dei beneficia intime ſunt cum ejus natura connexa? Quid multa in hoc myſterio philoſophamur, præter rem et neceſſitatem? Annon ex hoc animi humani inſoleſcentis pruritu enatæ ſunt diſſenſiones et rixæ, hæreſes et ſectæ, quarum finis et fructus is tantum fuit, ut male explicatis ludendo terminis, Biblicamque deferendo ſimplicitatem, animos multorum Chriſtianorum a ſe averterent, diſcerperent, turbarent, almamque violarent pacem. Tanta vero in diſſenſione hominum, triplicem Dei relationem (Trinitatem) explicare amantium, *aut* eum in modum ut virtutem quandam diverſam, variis ſub nominibus expreſſam tene-

nerent, quam ſententiam poſt Praxeam adoptarunt Sabelliani veteres et Modaliſtæ recentiores, *aut* ut perſonificationem et denominationem unius Divinæ eſſentiæ diverſis ſub titulis ſiſterent, quem cum Photinianis communem habent errorem Sociniani, *aut* ſubordinationis quoddam propinarent ſyſtema, quo Pater, Filius et Spiritus Sanctus a ſe invicem diſcernerentur, quemadmodum Arianismi patronis ex omni fere ævo extantibus placuit, *aut* denique ut ex decreto orthodoxæ Eccleſiæ perſonalitatem veram atque diſtinctam trium in Divina infinita natura ſubſiſtentium tuerentur, illud ſaltem elucet, quam lubricum ſit, ſapere ultra Scripturam, rectum vero et Chriſtiano nomine ſit dignum Divinæ inhærere inſtitutioni. Nullo enim probabili argumento, ex ſaniori interpretatione deducto, evinci poteſt, mentionem fieri trium ὑποστάσεων tantum ex figurato quodam ſcriptionis genere, aut ſola denominatione. Eſſe vero propriam et realem diſtinctionem, imperſcrutabilem quidem eam, ſed minime in tritheiſmi devia abducentem, inde ſequitur, quod eundem cultum ac Patri exhibere jubemur Chriſto, Dei filio, et Spiritui Sancto, ſanctitatem omnem promoventi, atque Divina attributa iisdem competere expreſſa Scripturæ diſcitur, non hoc aut alio, ſed longe plurimis in locis littera. Niſi ergo fumum vendere nobismet ipſis videamur, agnoſcamus neceſſe eſt Divinitatem i. e. Divinam naturam et perfectionem competere tribus iis, quos ſuſpicimus in una Dei eſſentia, quibuscum Deus omnium Auctor et pater ſuam ab æterno communicavit naturam. Neque poteſt alia magis antiſcripturaria doctrina proponi, quam quæ a Socinianis multiſque Recentioribus Dogmaticis et nonDogmaticis hoc in articulo prolata ſit. Ubi enim talia de Chriſto pronuntiantur, quæ Dei propria ſunt, v. c. omniſcium, omnipotentem, mundi creatorem et gu-

bernatorem esse, simplicissimum hi interpretes torquent sensum, et a lingvæ usu alienum inferunt, quasi dignitas et vis quædam moralis sublimibus hice adumbraretur locutionibus. Alii autem ex ipsa orthodoxorum schola propius hanc triplicem Dei relationem explicare amantes, facultates in Deo varias et quidem personales s. essentiales (aseitatem, filiationem, processionem) suopte ingenio excogitarunt. Quo magis vero in abstrusa hac doctrina certum quendam subsistendi modum penitius definire quis voluerit, tanto profundius frustratam suam sentiet operam. Quis enim unquam rimari Divinam infinitam naturam poterit, aut sapere ultra Divinum testimonium sustinebit? Irrita certe erunt conamina quævis mortalium hac in re indaganda, haud aliter ac si quis Solis ipsius materiem indagare semet posse vanus crederet. Admiremur potius sapientissimam Dei in generis nostri institutione oeconomiam, qua paternam suam in nos benignitatem curamque per unigenitum suum Filium, et moderantem omnia Spiritum exhibere propitius voluerit; meminerimus quoque, hunc vitæ nostræ statum non esse nisi infantilem et imperfectum, si cum futuro immortalis vitæ comparetur statu, in quo omnia nobis reddentur clariora. Maneamus ergo in simplici Dei Triunius cultu et fide, quam Sacra nobis instillat Scriptura, neque nos in devia abripi patiamur sive Tritheismi, quo palmarium subvertitur religionis fundamentum, sive modalismi & naturalismi, quo vilissimum in statum detruditur Divinus ipse Stator salutis, sive cujuscunque alius funesti erroris. Si enim vel maxime concederemus, ut concedendum est, locum illum pro demonstranda Trinitate adferri solitum, 1 Joh. V: 7. genuinum non esse, quia sobria crisis eum dudum jure expunxit *a*); si concedere-

a) Nec enim in probatissimis omnibus Cod. msc. nec versionibus antiquis, neque apud patres Ecclesiasticos ante Sec. IV. legitur.

deremus, vocabula nonnulla a patribus Eccleſiæ priorum Seculorum introducta, ουσιας, υποστασεως, προσωπα, perſonæ, cet. non quidem Biblica eſſe, nec exacte exprimere Divinam internam trium in Deo ſubſiſtentium relationem; At vero quum in ipſa baptismali inſtitutione, Math. XXVIII: 17—20, quæ revera confeſſionem fidei continet, ut quoque in apprecationibus Apoſtolicis 2 Cor. XIII: 13. — 1 Pet. I: 2. — diverſa nominentur ſubjecta, arctiſſimo eadem invicem conjuncta vinculo, quid aliud inde concluditur, quam neceſſariam et revelatione Divina innixam eſſe hanc Trinitatis doctrinam. Eſto quoque, vocabulum Trinitatis non in Bibliis inveniri, ſed ex Eccleſiaſticis Scriptoribus eſſe hauſtum, num ideo rejiciendum eſt, quum nullum opportunius ad ideam hanc exprimendam ſingi quidem poſſit vocabulum; quod idem de ceteris valet tropiciſque et ex vita humana deſumtis verbis atque enuntiationibus, modo caveatur, ne ultra modum aut juſtum rigorem adhibeantur. Præter allata vero licet pauciora loca, in quibus cultus religioſus Patri Filio et Spiritui Sancto adſignatur, ſunt quoque innumera alia, quæ Divina ſumma attributa, nomina, opera et beneficia propriisſimis verbis unicuique ſeorſim & diſtincte vindicant; quæ ergo ſimul ſumta aut inter ſe collata non poſſunt non triplicis Divinæ relationis internæ ſive Trinitatis confirmare et cum unitatis idea conciliare notionem.

Quod ad Deum unicum, κατ' εξοχην Patrem univerſi appellatum, attinet, non opus eſt argumenta pro ſuprema ejus eminentia depromere, quum vel Chriſtus ipſe Joh. XVI: 3. μονον αληθινον θεον, ſuum patrem Joh. X: 29. clariſſimis enuntiaverit verbis. Neque hac in re a nobis diſſentiunt novaturientes. Quum vero integerrimam no-

noſtram fidem de Divina Jeſu origine lacesſere tantisper ſoleant, immoderatius ſæpius et immodeſtius philoſophantes, e re non alienum judicabitur, antiquam Eccleſiæ Evangelicæ muniiſſe doctrinam, quam ex univerſa hiſtoria Sacra ſcriptisque Apoſtolorum fluxiſſe omnes ſciunt. Ibi enim tot indubia exſtant teſtimonia ipſius Chriſti de ſe, tot mirabilia leguntur facta et opera Divina Chriſto adſignata, tot ejus præcepta ad fidem et cultum religioſum Ipſi debitum ſpectantia, ut ſi eundem non profiteremur æterna communione cum Deo unitum noſtrumque Dominum immortalem, abnegaſſe fidem nomenque Chriſtianum merito cenſeremur. Proinde quoque orthodoxæ doctrinæ defenſores validiſſima ea pronuntiarunt argumenta θεοτητος Jeſu Chriſti, quæ a nominibus ejus Divinis ſive directis ſive indirectis, ab attributis, operibus et cultu Divino eidem adjudicatis vulgo petuntur. Neque mente quidem concipere poſſumus, quomodo illuſtria iſta effata factaque alio quodam conſilio de Chriſto pronuntiari potuiſſent, quam ut Divinam ejus originem, communionem et auctoritatem demonſtrarent. Et quamquam iis omnibus recenſendis, ut quoque hiſtoria hujus dogmatis pro inſtituti noſtri ratione ſuperſedeamus, nonnulla tamen ad utrumque hoc genus pertinentia monere juvabit. Quia ergo res omnis redit ad Novi Teſtamenti, id vero eſt, ad ipſius Chriſti et ejus Apoſtolorum de ipſo prolata judicia, exceptione quavis majora, quorum magnam quidem partem ſollicitavit antiqua pariter ac recentior philoſophandi libido, in quasdam velut claſſes et gradationes hæc ſublimiorem Chriſti originem comprobantia diſpeſcere placet loca, ut inde judicari poſſit, quodnam ſit ultimum et palmarium fidei noſtræ argumentum.

Primum

Primum dictorum genus conſtituunt ſublimes ipſius Jeſu, ſumma cum animi moderatione modeſtiaque prolatæ triplicique modo deductæ de ſe aſſertiones; *jam* enim ſemetipſum a Deo miſſum eſſe & legatum ſ. Divinum internuntium, Patris ſui nomine docentem agentemque ſimpliciter pronuntiabat, ut inter alia innumera loca apud Johannem, qui inprimis memorabilia Jeſu dicta & facta memoriæ prodidit, conferri merentur: Joh. V: 43. VII: 28, 29. VIII: 42. XIII: 3. XVII: 3. jam ſuam præexiſtentiam ante conditum mundum & ante Abrahamum haud obſcure ſignificabat, Joh. VIII: 58. *a*) XVII: 5. atque e cœlo, ex Dei Patris ſinu egreſſum illucve rediturum ſancte teſtabatur Joh. III: 13. 31. 32. VI: 38. *jam* quoque ſublimiori ſpiritu ſemet Dei filium, eadem poteſtate inſtructum, eodem cultu proſequendum, ejusdem majeſtatis conſortem ac Pater cœleſtis, vitæque æternæ auctorem & diſtributorem, malorum omnium vindicem, ceterumque per omnem ſuam vitam omniſcientem potentemque declarabat, Joh. V: 19—33. X: 25. 28. XI: 25. XIV: 6. 28. XVII: 2—8. Matth. XXVIII: 18. 20. alia ut prætermittamus loca. Enim vero quomodo hæc omnia de ſe aſſerere potuiſſet, niſi immediato æternoque

F vin-

a) Si enim verba v. 56: *την εμην ἡμεραν* cum ſequentibus: *πριν ἀβρααμ — εγω* — contuleris, ſponte patebit, *diem meum* idem esse ac *me adventientem* s. apparentem. Saltem ſpe certissima Abrahamus Christum venturum credidit — immo quoque gavisus est. Profundiorem vero Christi mentem nemo mortalis assequi poterit. Quid, si reapse apparuerit Abrahamo, ut ex Gen. XVI: 9. XVIII: 2. colligere quodam jure possumus, annon gaudii summa materies ei oboriri debuit, licet increatum illum Angelum distincte non cognosceret? Christum ante Abrahamum exstitisse, verba textus expresse declarant, nec possunt de nudo quodam decreto explicari. *εγω ειμι* ego jam tum *eram*,

vinculo cum Deo Patre conjunctus fuisset? Neque quispiam eadem sibi invicem contraria nugabitur esse, aut per ecstasin quandam & phantasiæ lusum pronuntiata. Immo vero celsissimam harmoniam & gradationem in ratiocinando quis non reperiet? Etenim qui intima conjunctus cum Deo celebratur natura iisdemque pollens attributis, is tanto magis aliis omnibus creaturis excellere atque ante res omnes exstitisse judicandus. Divinam ergo Jesu missionem, præexistentiam, originem & communionem cum Deo inter se collatas ita considerabimus, ut posita ejus missione & legatione Divina non infringatur ejus præexistendi modus; hunc vero ab æterno durasse agnoscentes Divinitatem ejus ac summam majestatem pia recolamus mente; & quia missionem suam Divinam satis aperto frequentiqe declaravit Sospitator noster documento operum (των εργων) ad quæ propterea jure provocabat, ita quoque intimam suam cum Deo necessitudinem iisdem firmissimis, præsertim solenni sua ex mortuis resurrectione, obsignavit argumentis. Hinc quoque, ante abitum suum ex his terris glorioſum, expressum dabat mandatum Apostolis, ut in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizarent gentes, hocque modo se ipsum Divino cultu prosequendum esse tanto sanctius inculcabat, quanto evidentius promitteret, se potenti ac præsentissima cura omnibus adfuturum fore usque ad finem mundi. Matth. XXVIII: 20. Cogitemus adhuc, Christum, quamqum, sæpius vanam plebeculæ evitaret auram libidinemque in præstolanda terrestri quadam monarchia satis morosam, solenniter tamen omnibus promulgasse, spiritualis sui & cœlestis regni, jam his in terris auspicandi, naturam secum ferre omnigenam mentis restaurationem, auxilium omne Divinum, peccatorum remissionem suo nomine, pacem æternamque salutem, quæ omnia tantam supponunt potestatem, ut in hominem ψιλον aut ens creatum vel excellentissimum cadere nequeat. An

crede-

credere fas est, miraculoſa vereque Divina inſtructum facultate Chriſtum imperii cœleſtis temere in ſe derivaſſe jus, quum Apoſtolis ſuis ipſe varia conferret dona extraordinaria?

Secundam argumentorum pro Divinitate Chriſti merito conſtituimus claſſem, quæ ex teſtimoniis Apoſtolorum provenit; ſiquidem dubio caret, Apoſtolos non modo preſſe inſtitiſſe doctrinæ Chriſti oretenus traditæ, verum etiam peculiari Dei revelatione inſtitutos fuiſſe, quemadmodum Chriſtus teſtimonium exhibet Petro, de majeſtate Domini sui palam profitente, συ ει χριστος υιος θεε ζωντος. Mirumne ergo videbitur, hos Jeſu diſcipulos Dei nomen ſolenniter ei vindicaſſe, quandoquidem, licet ipſe Jeſus, propter μετριοφροσυνην hoc nomine non oſtentabat infinitam ſuam gloriam, conſequens tamen ſit, eum, qui ſimili virtute & majeſtate filius Dei nuncupatur, verum eſſe Deum. Hinc nomine κυριε toties, immo jam a Davide Pſalm. XLV. & CX. celebratus, θεος aperte ab Apoſtolo Thoma compellatus Joh. XX: 28. λογος, θεος a Johanne Cap. I: 1. 1 Joh. V: 20. *a*), a Paulo ſæpius eodem ſublimi titulo ornatus, Rom. IX: 5. 2 Cor. V: 19. 1 Tim.

---

a) In vexato hoc loco id tantum monebimus, penitus contra ſyntaxin & contextum esse, verba: ουτος εστι αληθινος θεος referre velle ad remotius subjectum, patrem, quum tamen in tota hac Epistola Johannes operam suam ponat pro tuenda Divinitate Jesu, quem ζωην αιωνιον i. e. auctorem vitæ æternæ celebrat. Neque Johannem a vix toleranda purgare possumus tautologia, si de patre bis pronuntiasset, esse *Verum Deum*. Omnis quoque probandi nervus periret, si Christum laudaturus: ουτος ... ad Patrem denuo transiret celebrandum.

1 Tim. III: 16. Tit. II: 13. a). Hinc ab eodem Paulo imago Divinæ naturæ Ebr. I: 3. & omni Divinitate (πληρωματι της θεοτητος) inſtructus, Col II: 9 atque in condendo & gubernando univerſo mundo occupatus 1 Cor. VIII: 6. Col. I: 16. II: 9. Ebr. I: 2. 3. cui propterea ſummus cultus debetur, Phil. II: 11. 2 Tim IV: 18 immortalis noſtræ ſalutis Stator deſcribitur. Atque quum hæc θεοτητος Jeſu Chriſti fides, ipſius teſtimonio & mediata Divina revelatione proprie ſit fundata, abſtinent quoque Apoſtoli ab ulteriori tanti myſterii explicatione, id tantum pro certo criterio ponentes, reſurrectionem ejus e mortuis ſolennem fuisse hujus veritatis demonſtrationem, Act. III: 13. Rom. I: 1. ceterumque dogma unitatis Dei nullo modo hujus myſterii cauſa poſſe extenuari aut infringi docent.

---

a) Ex locis hisce valde disputatis inprimis Rom. IX: 5. ulteriori subjicimus examini. Si mens Paulina fuisset, doxologiam Patri addere, alia omnino syntaxi verborum uti debuisset nimirum ἐυλογητος θεος —. Quemadmodum enim in omnibus linguis certus ordo verborum observatur, quem nemo sobrius invertere potest, ita quoque in his verbis, ὁ ὢν επι παντων θεος subjectum est, de quo prædicatur ευλογητος. Recte ergo jam Tertullianus & Irenæus de Christo explicuerunt, secundum grammaticum verborum ordinem & sensum. Neque repugnat Christologia Paulina; nam celebratio majestatis, potentiæ & gloriæ Christi Divinæ, pluribus in locis obvenit, v. c. 2 Cor. IV: 4. δοξη τȣ χριϛȣ ὸς εϛιν εἰκων τȣ θεȣ — Eph. I: 7—14. Col. I. — cetera ut taceamus. Qui filius Dei κατ' ἐξοχην, & quidem μονογενης nominatur, non alius est quam Divinæ naturæ consors. Quod ad 1 Timoth. III: 16. attinet, antiquam scriptionem ΘC in Cod. Alexandrino jure approbamus; quæ nisi vera habeatur, claudicabit tota oratio.